

nore sepulturæ carens, tanquam in tenebris ex hac vita excedit: cujus (nisi cum ignominia) nulla apud homines mentio deinceps fit.

VER. 5. *Hic etiam solem non vidit, neque expertus est: tolerabilius est huic quam illi.*

Haud secus abortivus, qui hanc lucem non aspexit, neq; illam expertus est. Et quidem hætenus est utriusq; par conditio: sed abortivus fors melior est, quòd vitã simul inchoans finiensq; hujus vitæ calamitates & ærumnas, quibus avarus implicitus tenetur, non sit expertus.

VER. 6. *Etiam si vivat bis mille annos, & bono non fruatur, nõne in locum eundem hi omnes abeunt?*

Hic si quis excipiat, avarum abortivo antereferendum, quòd multos annos superstes sit: tametsi bis mille annos hanc vitã proferat, ex congestis divitiis & honoribus si nihil commodi & voluptatis ceperit, illius conditionem priore illa haud meliorem duco, maximè cum hac vitæ diuturnitate nihil effecit, quo minùs perinde ut abortivus eundem locum, id est, pulverem petat.

VER. 7. *Ut omnis labor hominis obveniat orì ipsius, etiam desiderium ejus non expletur.*

Cum omnia quæ quis improbo labore parat, ad victum & cultum corporis referantur, sitq; natura paucis contenta, insanam pro-

D

sus